



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. an ob subreptionem, quæ contingit circa causam non finalem ac principalem, sed impulsivam tantùm, vitientur Rescripta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

bitam, ad solutionem hanc faciendam rescriptum impetrasset, petens ex simplicitate, aut per ignorantiam solutionem ex causâ mutui, cum tamen illa ex causâ donationis, venditionis, &c. debeatur. 2. Vitatur totum rescriptum; si suppressio veri, aut expressio falsi causa sit concessionis rescripti quoad substantiam alterius ab eo, quod impetratum fuisset, si veritas expressa vel falsitas ommissa fuisset, quamvis ex simplicitate, aut per ignorantiam subreptio illa commissa fuisset. Et 3. invalidum etiam est rescriptum tale, in quo impetrando commissa fuit ex simplicitate vel per ignorantiam subreptio, si à Principe V. G. contra sententiâ jam olim ab eo latam impetratum sit, & nulla hujus sententiæ jam olim latæ mentio in tali rescripto fiat, prout patet, tum ex *cit. c. super litteris*, tum ex *c. eum olim. 12. de sent. & re judic.* & ex defectu voluntatis in concedente satis probatur.

§. IV.

An ob subreptionem, qua contingit circa causam non finalem ac Principalem, sed impulsivam tantum, vitentur Rescripta?

Probabilis est Rescriptum quodcumque sive ad lites illud sit, sive Gratiæ, non esse subreptitium, nisi suppressio veritatis vel expressio falsitatis ad rem postulatam per se, & intrinsecè pertinentis contingat circa causam finalem, seu Principalem concessionis, non autem, si contingat tantum circa causam impulsivam, nisi stylus curiæ vel jus veri expressionem specialiter requirat, ut sumitur ex

c. dudum. 14. §. nos igitur. de prebend. in 6. quod scilicet in illo casu, non autem in hoc deficiat voluntas concedentis, uti ex relato *c. colligitur*; & quamvis in omni rescripto, saltem tacitè, sub intelligatur ea clausula: *si preces veritate nitantur*, intelligi tamen debet hæc clausula de veritate causæ motivæ, non autem causæ impulsivæ, cum illius veritas moveat, ad rem simpliciter concedendam, vel saltem ad rem certo modo, & cum certis restrictionibus, clausulis, limitationibus, &c. concedendam, non autem veritas hujus, quæ tantum movere potest, ad facilius, citius, & liberalius, &c. rem quæ petitur, concedendam. Colligi autem potest, quod expressa v. g. veritas in rescripto causa finalis sit, si in aliis rescriptis dependenter à tali causa expressa, res, quæ hic & nunc petitur, concessa fuit, juxta stylum curiæ, & rescribentis consuetudinem; vel si sola & unica aliqua causa expressa fuerit; cum enim non rescribat Pontifex sine causa finali, consequenter, si unica tantum expressa sit, finalis ea esse debet; si verò plures in rescripto causæ positæ sunt, unica tamen tantum vera sit, quæ sola in aliis similibus rescriptis ad concedendum tale rescriptum sufficiens est, hæc unica causa finalis erit, cum pro valore actus, nemini præjudicantis, non tantum in hoc casu, sed in dubio etiam, ubi colligi non potest, utum finalis, an impulsiva causa tantum sit, præsumi debeat; potest tamen etiam ex eo colligi, quod impulsiva tantum causa aliqua sit, si ad rem postulatam extrinsecè tantum, & mere accidentaliter se causa talis habeat.

§. V. An